



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Caelestini Papae III. Ad Decanvm Et Archidiaconos
Lincolniensis Ecclesiae. Contra Gaufridum Eboracensem archiepiscopum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

58 CÆLESTINI PAPÆ III.

tis, in qua si forte defecerit, ipsum ab archiepiscopali officio & administratione suspensum apostolico conspectui faciatis praesentari, vt, auctore Domino, ibi plenius doceatur qualiter eum & sibi consimiles in domo Dei oporteat ministrare. Si vero idem archiepiscopus aliquid contra eos duxerit proponendum, illud nihilo minus audiatis, & ad nos sub sigillis vestris transmittatis inclusum, vt super his quod canonicum fuerit statuatur. Sane si dictus archiepiscopus in elusionem mandati nostri, antequam citatio vestra ad eum perueniat, appellationem interposuerit, vel iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi vos ei terminum trium mensium statuatis; infra quem se debeat in propria persona nostro conspectui praesentare. Quod si non fecerit, vos eum extunc ab omni pontificali officio & archiepiscopatus administratione denuntietis auctoritate nostra, remota appellatione, suspensum. Quod si omnes his exequendis interesse nequiuieritis, duo vestrum nihilo minus ea excequantur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Idus Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

EPISTOLA VI.

CÆLESTINI PAPÆ III.
AD DECANVM ET ARCHIDIACONOS
LINCOLNIENSIS ECCLESIAE.

Contra Gaufridum Eboracensem archiepiscopum.

Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Haime decano Lincolnia, & Rogero de Leicestrie, & Vvinemero de Northamptun, archidiaconis in Lincolnensi diaecesi constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

EXPOSVERVNT nobis dilectissimi filii nostri, Simon de Canus, capitulum ecclesiae sancti Petri Eboraci, quod post appellationem ad nos interpositam clerici de capella venerabilis fratris nostri eiusdem ecclesiae archiepiscopi, & quidam alii eiusdem ciuitatis in cathedrali ecclesia, in graue præjudicium ipsorum canonorum intrusi, ex-

clusis vicariis & clericis eiusdem ecclesiæ, in ea ministrare, & contra approbatam & antiquam consuetudinem loca & stalla personarum in choro & capitulo usurpan tes ordinem ecclesiæ peruertere præsumperunt. Volentes vero huiusmodi præsumptionibus, prout conuenit, obuiari, discretioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si vera sunt quæ præmisimus, præsumptores illos, ut ipsi ecclesiæ sancti Petri & canonicis super his in præsentia vestra debitam satisfactionem exhibeant per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Damna etiam, quæ per eosdem clericos prædicto capitulo constitut irrogata, sicut iustum fuerit, resarciri faciatis: quod si omnes his exequendis interesse nequiveritis, duo vestrū ea nihilo minus exequantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum secundo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

EPISTOLA VII.

CÆLESTINI PAPÆ III.

AD HVBERTVM ARCHIEPISCPVM
CANTVARIENSEM.

Ei legationem apostolicae sedis committit.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Huberto
Cantuarienſi archiepiscopo apostolicae sedis legato salutem
& apostolicam benedictionem.*

SINCERITAS deuotionis & fidei consuetæ, quam Anglicana semper ecclesia circa sacroſanctam Romanam ecclesiam conseruauit, in tua (sicut bene confidimus) prouidentia, & virtute refloruit, & placidi feruoris acceptabile * incrementum, talis enim ad Romanam ecclesiam tuæ fraternalitatis emanauit opinio, quæ in tuæ honestatis odore nos recreat, & constantiæ quam habes vigore confortat; ita ut confidentiam, quam de tua probitate concepimus, in nostro iam apertius opere declaremus. Supplicante itaque carissimo in Christo filio nostro Richardo illustri rege Anglorum, & vniuersis suffraganeis Cantuariensis ecclesiæ, ut Anglicana ecclesia legatum

Concil. Tom. 28.

H ij